



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 35. Illius opinio consideratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

ex ipso Procuratore illo, quem etiam ^{Sæcul. XIV.}
 num Parisiis hæere credimus. Dabat ^{A. C. 1334.}
 10 Martii anno 1334.

§. XXXV.

Papæ opinio consideratur.

Ex narratione historici Joannis Villani
 liquet, quam in partem orbis accepe-
 rit hanc Papæ opinionem. Audi, quo-
 modo ille loquatur! Insuper habitis his ^{L. IO. C. 2297}
 cunctis asseverationibus ajebant veluti
 certum, ac ex effectibus apparebat Pa-
 pam in hac opinione persistere. Nam
 quoties Doctor aliquis aut Præsul ei af-
 ferebat auctoritatem seu locum Patrum
 dictæ opinioni quodammodo faventem,
 lætis virum aspectabat oculis animi pro-
 pensis testibus, ac beneficium illi confere-
 bat. Hanc opinionem per Geraldum
 Minorum Ordinis Ministrum Generalem,
 Papæ popularem clientemque Parisiis e
 suggestu sacro traditam improbabant
 cuncti Theologiæ Doctores Parisini, Fra-
 tres Prædicatores, Augustiniani, & Car-
 melitæ. Rex Franciæ Philippus Geral-
 dum acriter objurgatum dixit esse hæ-
 reticum, & nisi palinodiam caneret, a
 se morti addictum iri tanquam Pateri-
 num, quia nullam in regno suo hæresim
 toleraret: atque, si Papa ipse hanc de-

Sæcul. XIV.
A C. 1324.

fenderet opinionem, hæresis damnandum esse. Addebat ut laicus, sed bonus Christianus, frustra Sanctos rogatum, speratumque iri salutem per eorum merita, si usque ad diem iudicii non possent cernere divinitatem, nec perfectam in æterna vita habere beatitudinem: secundum hanc opinionem cunctas indulgentias ab Ecclesia concessas fore irritas; ac inde secuturam esse catholicæ fidei everfionem.

Villanus adjungit: Reges Philippus ac Robertus per litteras Papam culpabant comiter, ac edocebant, etiamsi hanc opinionem solum veritatis indagandæ causæ defenderet, decere Papam non movere quæstiones suspectas de defectu fidei, sed motas decidere. Hæc Regum monitio multum placuit Cardinalibus plerisque opinionem Papæ improbantibus; ac Regi Franciæ dedit ansam assumendi tantam authoritatem in Papam, ut hic nihil ei denegare auderet. Ita passus est adduci se ad Italiæ inspectionem Regi committendam per pactiones, quas Rex Bohemiæ Joannes inceperat. Hæc Villanus.

Reapse non erat tam periculosa Papæ opinio, ut his Principibus persuadebatur. Indulgentiæ non fundantur in solis meritis ac precibus Sanctorum, sed potissimum in Christi meritis infinitis.

Atque

Atque si Sancti nondum tam perfecte viderent Deum, sicut eum cernent post generalem in corpora reditum, non inutile tamen foret eorum deprecationem flagitare, cum nos Sanctis commendemus etiamnum in terra viventibus.

Sæcul. XIV.
A.C. 1334.

Durandus Porcianofanensis celeberrimus ex Ordine Prædicatorum Doctor, & tunc Meldensis Episcopus opinionem Papæ impugnavit; sed per authoritates divini codicis ab ipsarum sensu naturali adeo detortas, ac per ratiocinationes tam infirmas, ut inde nihil solidi concludi posset. Hoc scriptum misit Papæ: qui examinandum tradidit quibusdam Doctoribus; in quorum numero erat Cardinalis Jacobus Furnarius postmodo Papa. Inventos ibi errores volebant confutare per argumenta, quæ vix firmiora videbantur. Durandus inibi de S. Bernardo sic loquitur: Notandum venit, illum, etiamsi vir magni fervoris in sacris precibus & concionibus suis fuerit, non tamen gravis authoritatis fuisse in explicandis divinis litteris: quapropter eum hac in materia sequi aut relinquere licet.

Rayn. 1333.
n. 48. etc.